

gabatur? Atque Candidianus inutilis, qui se ob sui scele-  
ris immanitatem prefate sanctae recordationis domino  
Severo, decessori nostro, sub anathematis interposicione  
obligatus est, ne ad potiorem gradum umquam accederet,  
quoniam a se eique corde faventibus in praedicto Gradensi  
castro adulterium matri aeccliae improbe ingereretur,  
ordinatur episcopus. Et Petrus, Providentius seu Agnellus,  
episcopi Histriae, qui adhuc fidem sanctam tenebant et  
Candidiano necdum consentiebant, de aecclesiis suis a mil-  
litibus tracti et cum gravi iniuria et contumeliis ad eum  
venire compulsi sunt. Si enim recte ei consentescentes essent,  
voluntarie illi consentire debuerant, non autem per vim».  
Et post pauca sic: «Laborate et agite, quatinus et fides  
catholica vestris augeatur temporibus et in Gradensi  
castro, postquam infelix Candidianus de hoc seculo ad  
aeterna supplicia transmigravit, altera iniqua ordinatio  
ibi minime celebretur nec populus ille amplius tribuletur.  
Et vere, si hoc, Domino auxiliante, egeritis, quod primum  
est, Christus Deus pietati vestrae erit bonorum omnium  
tributor». Et quia Gradus mari et fluctibus cingitur et  
Histria, quae prius Aquileiae, suae metropoli, subiecta  
fuerat, Smaragdo hesarcho resistente, tunc a Longobardis  
capi non poterat, sed ad iura Graecorum tenebatur, quare  
factum est, quod rex ei nullum potuit prestare auxilium  
ac per hoc, ipso annitente hesarcho, Histriae episcopi de  
aecclesiis suis a militibus Graecorum tracti sunt et hunc  
Candidianum ordinare compulsi.

Antiquorum igitur recitatis historiis, Aquileiam ma-  
tricem semper et metropolim fuisse repperimus, Gradus  
autem plebem eius esse omnino comperimus.

Sed et populi Polensis, quae civitas caput est Histriae,  
decretum ab universo clero et cuncto populo missum ad  
Sigualdum, patriarcham Aquileiensem, qui usque ad  
Francorum tempora vixit, verum et probatissimum in-  
venimus, ut electum ab eis episcopum ordinaret.

Sed et id non omittendum, quod et clerici et nobiles  
ex laicis viris electi ab Histriensi populo sanctam sy-  
nodum supplicantibus venerint, ut eos a Graecorum nequis-  
simo vinculo liberatos ad Aquileiam, suam metropolim,